



The Holy See

IOANNES PP. XXIII

EPISTULA AD IACOBUM

TIT. SS. BONIFACII ET ALEXII

S. R. E. PRESBYTERUM CARDINALEM

DE BARROS CÂMARA,

ARCHIEPISCOPUM S. SEBASTIANI

FLUMINIS IANUARI,

QUEM LEGATUM DELIGIT

CONVENTUI EUCHARISTICO

EX UNIVERSA BRASILIA

CURITYBAE CELEBRANDOCURITYBAE* *Dilecte Fili Noster,*

*salutem et Apostolicam Benedictionem*Curitybae, in urbe Paranensis regionis amoenitate loci ac provehendi Dei regni spe et consiliis praeclara, ex universa Brasilia mox Eucharisticus Conventus celebrabitur, qui piaie multitudinis numero, pietatis studio, tractandarum rerum momento illustris haud fallaci omine prospicitur. Qui ut sollemnior contingat, a Nobis expetitur est, ut e Purpuratorum Patrum Sacro Collegio aliquem destinaremus, qui ibi personam Nostram gereret. Quibus precibus concedentes Te, Dilecte Fili Noster, Legatum deligimus et renuntiamus, qui nomine et auctoritate Nostra Eucharisticis Curitybensibus celebritatibus et coetibus praesideas. Nec dubitamus, quin hoc munus, quod tibi demandamus, haud impari exspectatione, cum honore et spirituali fructu adimpletur sis. Fac, ut votorum Nostrorum interpres et nuntius, ipse praesentia et sermone inclitam Brazilianam gentem incites, ut adorandum Altaris Sacramentum aemulo fidei studio colat et sumat. Hoc enim mirabilium rerum, quae Iesus Christus peregit, apex et summa est, hoc vexillum est unitatis, vinculum pacis, alimentum caritatis. Quoniam plenitudo legis est dilectio (1) et finis praecepti est caritas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta (2), ubinam datur nobis, ut Deo sublimiore adorationis obsequio iungamur et nobiscum artiore communionis copulemur vinculo, atque adeo Novae Legis primum impleamus praeceptum, nisi cum crebro et ardenti devotoque animo ad SS. Eucharistiam accedimus? Ex hac enim immensa erga nos Christi caritas patescit et, dum in eum quem sumimus transimus, eo fit, ut aduramur illius fiamma ignis, quem Is flagranter spargi cupivit (3). Cum Brazilianorum virtute magnopere confidamus, ut inter eos Christi regnum felicioribus auctibus floreat, per te illis Eucharisticis sacris sollemnibus interfuturos adhortamur, ut ex augusti Sacramenti pietate, in exemplum colenda, novas validasque vires hauriant, ut catholica religio, qua patriae vestrae nihil est sanctius et utilius, secunda ab insidiis sit et beneficae virtutis sceptrum privatos mores, nuptias, familias, scholas, publica instituta et leges temperet. *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus* (4). Nam aliter non ordo struitur, sed iactura paratur. Caelestia igitur peccati auxilia, ut e communi sententia haec omnia

prospero exitu contingant, tibi, Dilecte Fili Noster, Apostolicam Benedictionem, caritatis Nostrae testem, impertimus, eamque et ad sollertem Curitybensem Archiepiscopum, ad sacrorum Antistites, magistratus, ad sacerdotes et laicorum ordinis homines ad Eucharisticam Congressionem ex universa Brasilia Curitybam adventuros, libenti animo pertinere volumus. *Datum Roma, apud Sanctum Petrum, die V mensis Martii anno MCMLX, Pontificatus Nostri secundo.* **IOANNES PP.**

XXIII

*A.A.S., vol. LII (1960), n. 6, pp. 385-386.(1) *Rom.* 13, 10.(2) *1 Tim.* 1, 5.(3) Cfr. *Luc.* 12, 49.(4) *1 Cor.* 3, 11.

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana